

IV. Video, indicium non vanum, resurrexisse in nobis Christum, adeoque nos cum illo; si nimirum ambulet nobiscum in omnibus nostris actionibus, uti hodie cum discipulis. Sic enim memini dixisse ad Deum Moysen, Exod. XXXIII. *In quo scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu suo, ambulaveris nobiscum?* Porro ambulant cum Christo, qui eum quasi presentem semper præ oculis habent ad ejusque voluntatem et beneplacitum suas omnes actiones conformant, juxta illius, quamvis ethnici, Senecæ vere christianam sententiam, ep. X. *Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo tamquam homines audiant.* Ita ambulavit cum Deo Henoch, Gen. V. Septuaginta vertunt: *Henoch placuit Deo*, Targum Jerosolymitanum legit: *Servivit Henoch in veritate coram Domino.* Qui ergo sic ambulant, vere Deo serviunt et placent. Idem facere jussus est a Deo Abraham, Gen. XVII. *Ambula coram me, et esto perfectus.* Idem omnibus consulit Salomon, Prov. III. *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos:* Tobias quoque filio suo: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeo Deum,* Tob. IV.

V. Video peregrinationes ad loca sacra recipiendas et probandas. Video enim discipulos, necnon eorum magistrum Christum, peregrini habitu descendentes ab Jerosolymis, quod ad festum paschatis celebrandum ingens Hebræorum turba confluerat. Unde aiunt Domino: *Tu solus peregrinus es?* q. d. ex tanto peregrinorum numero tu solus non vidisti vel audisti, quæ acta sunt his diebus in Jerusalem? Sed confirmemus hoc ipsum pluribus contra hæreticos nostri temporis; et probatur primo, Scripturæ testimonio, Deuteronom. XVI. instituit Deus, ut omnes filii Israël in anno ad tabernaculum vel templum Domini peregrinarentur. Quod præceptum studiose servabat Helcana et Anna, uxor ejus, I. Regum I. necnon Christus ipse cum matre sua et Josepho, Lucæ II. gentiles quoque veniebant adorare in Jerusalem propria religione relicta, Joann. XII. Uti et eunuchus Æthiops, Act. VIII. Paulus item apostolus festinabat in itinere, ut in Jerusalem faceret pentecosten, Act. XX. Secundo, ostenditur patrum testimonio et exemplo. Eusebius, lib. VI. c. IX. ait: *Alexander Jerosolymam adorandi et locorum sanctorum videndi causa properavit.* S. Hieronymus, epist. XXVII. de obitu Paulæ inquit: *Cujus gentis homines ad loca sancta non veniunt?* Anastasius, in Constantino scribit: *His temporibus duo reges Saxonum ad orationes apostolorum cum aliis pluribus venientes velociter (ut optabant) vitam suam fi-*

niverunt. Idem testatur Paulus diac. qui et subdit: *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles et ignobiles, viri et feminae divini amoris instinctu Romam venire consueverunt.* De Ceadulla Britonum rege scribit Beda, lib. V. hist. c. VII. « Venit Romam, hoc sibi singulare desiderans adipisci, ut ad limina b. apostolorum fonte baptismatis ablueretur; simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret; quod utrumque ut mente disposuerat, Domino adjuvante, completum est. Etenim illo perveniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die s. sabbati paschatis, anno ab incarn. Domini 689. et in albis adhuc positus, languore correptus, calend. maiar. solutus est a carne, et beatorum est consortio sociatus in cælis. » Subdit eum nomen Petri sumpsisse in baptismo, et in S. Petri basilica esse sepultum; ejus et epitaphium recitat.

Idem fecit Huu, Ceadullæ successor, qui et ipse, relicto regno, Romam peregrinatus monasticam ibi vitam amplexus in Domino quievit, ut ibidem scribit Beda. Denique Carolus Magnus, anno Domini 774. peregrinatus est Romam, eumque ad urbem accederet, ex equo descendens pedes perrexit ad S. Petrum, ac gradus S. Petri sigillatim deosculans, ab Hadriano pontifice exceptus, alias deinde ecclesias pari devotione visitavit. Quodcirca Deus ei benedixit, nam rediens Ticinum cepit, ac Desiderium Longobardorum regem captivum abduxit, regnumque Longobardorum tot annis Italiæ molestum extinxit. Deinde Saxones subjugavit. Ita ex Anastasio et aliis Baronius, anno Domini 774. Tertio, ratione; primo enim, peregrinationes cedunt ad honorem Dei et sanctorum non medioerem, quando itinerum laborem et pericula suscipimus ad Dei cultum et sanctorum reliquias. Deinde, sunt opus pœnitentiæ et satisfactionis, quia laboriosa et molestæ. Denique, augent devotionem; præsentia enim loci sancti incutit horrorem, et excitat reverentiam. Et licet ubique sint aliqua sancta loca, tamen sæpe alibi sunt loca sanctiora: vel alia saltem ab his, quæ in nostra patria inveniuntur; ipsaque novitas juvat ad devotionem excitandam. Sæpe etiam peculiari amore ferimur erga sancti alicujus memoriam, quæ procul abest a nobis.

Verum quidem est, et fatemur perlibenter, non ponendam in peregrinationibus eam spem, quasi iis solis quomodocumque peccatis, obtineri salus queat; aut sufficiat ad peccatorum expiationem vidisse et visitasse loca sacra. Hoc enim non asserimus; quo etiam sensu dixit S. Hieronymus, in epist. *Non Jerosolymam vilis, sed Je-*

rosolymis bene vixisse laudandum est. Pietas ergo et cæteræ virtutes Christiano necessariæ peregrinum comitari debent. Verum etiam non omnibus expedire vel concedi ut suscipiant peregrinationes, veluti sunt religiosi, uxores, alique certis adstricti legibus, de quibus loquitur in oratione Gregorius Nyssenus apud Magdeb. centuriatores, cent. IV. c. X. S. et Hieronymus ad Paulinum.

Sed missa nunc ista peregrinatione, ad eam nos conferamus, quæ in cœlestem ducit patriam, ad quam nos perducat Deus.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Quinam fuerunt hi discipuli? — II. Cur junxit se illis Christus? — III. Quomodo Christus dicitur peregrinus? — IV. Cur respondit Dominus: Quæ? — V. Car adeo dure increpat discipulos? — VI. Quomodo oportuit Christum pati? — VII. Cur finxit se longius ire? — VIII. An eucharistia discipulis porrecta? — IX. Quare agnitus Christus in fractione panis?

THEMA.

Interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Luc. XXIV.

Cynicus ille Diogenes quam addiscendæ sapientiæ addictus esset vel inde ostendi potest, quod ea de causa Athenas profectus ad Antisthenem, cum ab eo repelleretur intentato baculo, subjecti caput ictui, dicens: *Cæde si vis, at nulum invenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid dixeris.* Refert Laertius, lib. VI. cap. II. Non minus sapientiæ studium et amorem reperire est, auditores, in duobus illis discipulis, qui in hodierno evangelio abierunt in castellum. Quam enim addicti essent cognitioni verbi divini, ex eo satis patet, quam increpati duro illo verbo: *O stulti, et tardi corde!* minime repelli a magistro potuerunt, dum eos erudiebat; quin etiam fatentur arsisse interim amore corda sua: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?* Ad hæc a doctore isto divelli non potuerunt, sed coegerunt illum, ut secum permaneret. Quare tametsi hi discipuli ex una quidem parte reprehensionem merebantur ob defectum fidei; ex alia tamen laudem ob amorem verbi divini et cœlestis sapientiæ, ideoque digni habitu sunt, qui Christum redivivum corporeis oculis cernerent. Qua ex re, auditores,

satis, opinor, intelligimus, quam addicti verbo Dei et concionibus audiendis esse debeamus; ita nimirum ut nec minis nec increpationibus concionatorum averti ab eo nos patiamur; deinde ut cor nostrum ardeat in nobis, dum aperiuntur nobis Scripturæ: denique ut ægre a concionibus divellamur, finem earum molestius quam initium feramus. Freti igitur hac de vobis spe aperiamus quantum possumus Scripturam hodierni evangelii, Dominus dignetur nobis aperire oculos.

I. Quinam erant hi duo discipuli, et quomodo tenebantur eorum oculi? Respond. ad primum, probabile esse fuisse ex septuaginta duobus discipulis. Nomen uni Cleophas; quis vero fuerit ille Cleophas, et quo nomine alter vocatus sit, plures sunt sententiæ, sed incertæ omnes; ideo nec referre operæ pretium duco.

Ad secundum, respondeo tentos iñorum oculos non a Satana fuisse, sed a Christo ipso, uti sentiunt plerique, immissa in discipulorum oculos specie alterius effigiei, non ejus, quam gerebat Christus. Ita Barradius hoc loco. D. Thomas, III. sentent. dist. XXI. art. IV. ait, divina potestate impeditas fuisse internas potentias, ne Christum agnoscerent, quamvis externa species eundem repræsenteret. Resurrexit Dominus cum iisdem lineamentis eademque effigie corporis, ut agnosci posset, non alius, sed idem ipse surrexisse, qui crucifixus fuerat, quamvis haud dubie majore cum venustate, unde ex hac parte facile agnosci a discipulis potuisset, nisi ex alia detenti ipsorum oculi fuissent. Quod ergo Marcus ait ostentum illis esse Dominum in alia effigie, non ita intelligendum, quasi Dominus aliam a sua assumpserit effigiem; sed quod immutati discipulorum oculi aliam in ipso effigiem aspexerint.

II. Cur adjunxit se his discipulis Dominus? Respondeo, primo, quia præ cæteris afflicti et debiles erant in fide, prius ergo Dominus, velut prudens mater occurrit ad eos filios, qui periculosius laborabant. Primo, omnium apparuit Matri ob excellentiam et honorem maternæ dignitatis. Deinde Magdalenæ, ob excellentiam amoris ejus. Post hanc salutavit mulieres alias, ob excellentiam devotionis earum. Hinc ad Petrum sese contulit ob excellentiam primatus ejus et pusillanimitatem ex negatione conceptam. Ab hoc ad discipulos hos se contulit, quia videt eos non tristes solum, sed etiam pene desperantes.

Secundo, quia de rebus piis, morte et passione Domini inter se colloquebantur. Dixerat autem Dominus, ubi duo vel tres in nomine ejus congregati essent, se in medio illorum fore,

Matth. XVIII. Unde discimus Christum adesse iis, qui crebro de ipso loquuntur, præsertim de passione ejus.

Tertio, mystice, quia ab impia et sanguinolenta civitate discedebant, ne illius sceleribus contaminarentur. Qui ergo se a dæmone, a mundi conversatione et deliciis segregant, eos visitare et adjuvare solet Deus in proposito. Emmaus postea ex castello civitas facta est, dicta Nicopolis, id est, civitas victoriae, teste D. Hieronymo, epitaph. Paulæ. Quod si igitur a terrestri Jerosolyma peregrinamur ad caelestem, quæ vera est Nicopolis, Christum absque dubio viæ comitem habemus.

III. Qua ratione Christus vocatus est peregrinus a Cleopha? Respondeo primo, ad litteram quasi solus ipse peregrinatus esset in Jerusalem, nec tamen sciret, quæ ibidem gesta erant; vel quasi solus peregrinus, hoc est, inscius et tamquam ab urbe absens non nosset, quæ coram oculis omnium facta sunt. Sed unde colligit Cleophas hunc peregrinum nihil ea de re scire? Respondeo credibile esse, Dominum aliquantum spatii jam ivisse cum discipulis et illorum de ea re sermonem audivisse, vel Cleopham existimasse, nihil aliud jam in ore hominum esse quam tragediam passionis magistri sui.

Respondeo secundo, mystice recte vocatum peregrinum. Primo, quia Christus e caelo in terram quasi alienam venit. Secundo, quia licet terræ esset Dominus et venisset in propria, sui tamen eum quasi peregrinum non receperunt, nec agnoverunt. Tertio, quia caducis terræ bonis non est usus, nisi ad necessitatem quemadmodum peregrinus. Non habuit ubi caput reclinaret, non propriam domum, non propriam pecuniam, non sepulcrum; nullo rerum hujus viæ et vitæ captus est amore; sed pertransiit, velut peregrinus. Idem videre est in iis, qui se peregrinos hic agnoscunt.

IV. Cur respondet Dominus: Quæ? Quasi nesciret, quid actum esset Jerosolymis? Resp. primo, ad litteram, ut discipuli ulcus suum aperiant et ipse medelam adhibeat doceatque ignorantem. Fingit se nescire, ut eos in planum deducat.

Secundo, ut ostendat statum beatificum esse tam felicem et gaudiis refertum, ut absorbeat quodammodo in Deo hominem, ita ut nihil faciat, nec recordetur amplius cruciatus et labores præteritos. In hujus rei figuram Joseph ereptus e squalore carceris et evehus ad dignitatem principis, filium suum primogenitum appellavit Manassen, id est, oblivionem, subjunxitque causam, quia *oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum*, Genes. XLI. Eodem tendunt verba illa

Psalmi: *Inebriantur ab ubertate domus tuæ*. Ut enim ebrii obliviscuntur omnium suarum curarum, miseriarum et laborum præteritorum; ita etiam beati omnium afflictionum, quas in mundo passi sunt. Hinc dixit August. serm. de beat. caelesti, quod si unica tantum gutta caelestis beatitudinis in damnatorum pœnas deflueret, tanta dulcedine replet gehennam, ut nullum dolorem aut tormentum sentirent. E contra etiam damnati obliviscuntur omnium deliciarum, quas perceperunt in hoc sæculo; unde dicant Sap. V. *Quid profuit nobis superbia, etc.*

Tertio, ut ostendat infinitum suum amorem, quo nos prosequitur. Ita enim nos diligit, ut omne id quod passus est pro nobis parum esse reputet, si cum amore, quo nos afficit, appendatur; quodque plura etiam, si opus foret, pati paratus esset, dummodo lucraretur animas nostras. Quemadmodum enim Jacobo septem anni, quibus pro Rachele servivit, pauci dies visi sunt præ amoris magnitudine, Genes. XXIX. sic Christo, tanta licet pro hominibus passo, parum esse videtur, quod passus est ita ut nunc interroget: Quæ sunt illa, quæ pertuli in Jerusalem? Nos contra exigua, quæ pro Deo facimus, magna reputamus eum Pharisæo illo: *Jejuno bis in sabbato, etc.* Luc. cap. XVIII.

V. Quamobrem adeo dure increpat discipulos: *O stulti et tardi corde!* Respondeo hoc verbum non esse contumeliam formalem, sed materialem tantum, quia ex amore, et animo corrigendi prolatum: id est, insensati vel amentes. Ad hæc Deus erat, qui loquitur et increpando accendit corda eorum.

Porro hi discipuli duriorem hanc increpationem non uno modo meruerunt. Primo enim, nimis humiliter loquuntur de magistro suo, appellando eum *virum prophetam*, cum agnosceere deberent Dei Filium. Secundo: *Sperabamus*, inquiunt, *quod ipse esset redempturus Israel*. Ergo spem hanc jam abjecerant, quia nondum viderunt resuscitatum. Tertio, quia nimis cito spem resurrectionis ejus abjecerunt. Audiant enim post triduum resurrecturum; atqui tertia dies nondum elapsa erat, ante tempus ergo spem deponunt. Quarto, quia mulieribus narrantibus angelorum visionem et sepulcri vacui conspectum, fidem non adhibuerunt. Mirum ergo non est, si homines duro capite duro verbo objurgati sunt. Malo nodo malus cuneus, dicere solemus. Utinam vero isti non haberent multos similes, ad vero plurimi sunt, qui nimis humiliter sentiunt de Deo, quasi non plura possit facere quam nos intelligere, quasi calamitates nostras minime intueatur aut curet, quasi non

audiat nec auditorus sit petitiones nostras. Desperat pauper de sua sustentatione, ideo furari incipit; desperat virgo de honesto connubio, ideo impudicitiam se tradit; desperat studiosus de profectu, ideo militiæ nomen dat; neque credere volunt tot Dei promissionibus, tot exemplis, etc. sed *Qui estis vos, qui tentatis Dominum?* ait Judith ad concives suos Bethulienses, qui tradere Assyriis voluerunt civitatem, eo quod non statim Dei opem impetrassent, Judith. VII. Quis existimasset gladium Abrahami strictum jam in puerum a Deo inhibendum, servandumque puerum? Genes. XXII.

VI. Quomodo oportuit Christum pati? Respondeo oportuisse supposito Dei decreto. Abstrahendo vero ab hoc, non oportuit absolute; sed ad bene esse seu decuit eum pati primo: *Ut per omnia fratribus assimilaretur*, quemadmodum ait apostolus ad Hebr. adeoque *ut similiter passus et tentatus misereri, ac compati ipso disceret experimento: et infirmi filii Adam (quos suos fieri, et appellari fratres non dedignatus est) suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas et posset ut Deus, et vellet ut proximus, et cognosceret ut eadem passus, inquit S. Bern. in tractatu de grad. humil.*

Secundo, ut sanciret justitiam illique satisfaceret ne dedecus peccati maneret sine decore justitiæ. Itaque patiendo satisfecit parti læsæ; Deo, ut peccatum expiaret.

Tertio, ut fidelibus suis patientiæ, et charitatis exemplo præiret dando pro eis vitam suam.

Quarto, ut ita, hoc est, cum honore et merito eum cumulo intraret in gloriam suam, ut ipse in hodierno evangelio. Decretum enim a Deo: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*, II. Tim. II.

VII. Cur finxit se longius ire? Respondeo primo, ut discipulorum amorem et desiderium, quasi folle quodam accenderet ad se retinendum. *Cupiebat enim audire: Mane nobiscum Domine*, inquit S. Bernardus, serm. LXXIV. in Cant. *præteriens teneri vult, abiens revocari, etc.* Sic distulit, et dissimulavit se audire Chananæam, ut ipsa perseverando et fortius clamando fieret postulato dignior, Matth. XV.

Secundo, respondet S. Gregorius, homi. XXIII. in evangel. *Quia adhuc in eorum cordibus peregrinus a fide, se ire longius finxit*. Vel ut Augustinus ait: *Quia cum longius recessurus esset in caelum ascendendo, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra*. Hæ rationes mysticæ sunt.

VIII. Præbuitne Christus discipulis eucharistiam in castello? Respondeo hoc incertum esse et in utramque partem disputari posse inter auctores. Magna sunt argumenta inclinantia in

partem affirmantem; primum, quia dicitur Christus fregisse panem; fractio autem panis, eucharistiæ dispensatio solet appellari, Actor. II. *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis: I. Cor. X. Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?*

Secundum, quia accepit panem et benedixit. Si vulgaris tantum hæc cibi benedictio fuisset, non accepisset panem in manum, sed reliquisset in mensa: deinde non panem solum, sed etiam alios cibos benedixisset.

Tertium, quia fractum panem porrigebat illis quemadmodum in ultima cœna fecit; at quid opus erat porrigere, si communis tantum panis fuit?

Quartum, quia mirus et supernaturalis effectus eam fractionem consecutus est, dum agnoverunt Christum, quem prius non agnoverant.

Potuit autem Christus ad eucharistiam credendam et sumendam disponere eos in via, præsertim quia jam amoris igne inflammati erant.

Sunt etiam non spernenda argumenta in partem negantem. Primum, quia discipuli tunc non videntur adhuc novisse, quid esse eucharistia, cum ultimæ cœnæ non interfuerint.

Secundum, quia tunc adhuc in fide nutabant, adeoque imparati fuisse videntur. Hinc igitur vel hoc habemus, non omnia liquida esse, quæ leguntur in ss. litteris.

IX. Quare agnosci voluit Dominus in fractione panis? Respondeo primo, ut indicaret caelestem eucharistiæ panem oculos illuminare ad cognoscendum Deum, necnon alia ad salutem necessaria, uti est cognitio sui ipsius, vanitatis mundi, gravitatis peccati, præstantiæ rerum caelestium, atrocitatis gehennæ, etc. Hujus etiam typus fuit illud mel, quod ut gustavit Jonathas illuminati sunt oculi ejus, primo Reg. XIV. Prohibuerat quidem Saul militibus quidquam cibi sumere, donec omnes hostes debellati essent: verum Jonathas, contra hoc mandatum, de melle gustans didicit experientia sibi id profuisse. Prohibet etiam mundus aliquibus accedere ad eucharistiam cum accedendum est, veluti tempore paschali, quia scilicet adhuc lites forenses habeant nondum definitas: vel quia inimicos nondum sibi reconciliatos: vel quia negotia secularia. Verum ista nequaquam impedire aliquem debent a s. communionem, præsertim cum in præcepto est: siquidem forenses lites suum progressum habere possunt, etiamsi interim communices; similiter inimici, nisi tu adhuc geras odium in pectore vel nondum satisfeceris læsis, impedire non possunt a fructu communionis.